MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS I)

Heiligenkreuz, 1183/1200

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277

Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Iam deinde non habuimus commeatum introeundi, sed mirum splendorem in totis partibus vidi, quem parum cernere vix potui oculis reverberatis. Tunc sanctus Raphahel accersivit unum ex angelis, quem transmisit ut sanctum Petrum apostolum cito ad se vocaret. At ille absque mora advenit dicens: Quid est frater Raphahel quod me accersiri fecisti? Tunc sanctus Raphahel ait: Inveni unum ex monachis tuis cui contradicunt demones, nec omnino volunt eum laxare. At contra beatus Petrus verso vultu conversus dixit ad illos: Quod crimen habetis imponere huic? Demones dixerunt: Principalia vicia. Et Petrus: Dicite illa. Et illi dixerunt: Tres mulieres habuit quod ei non licuerat, et alia crimina perpetravit quam plurima, et alias culpas quas ei suasimus multas, sed et illas quas ab infantia gesserat rememoraverunt per singula, et hoc quod ego numquam ad memoriam reducebam. Et sanctus Petrus dixit ad me: Est veritas? Et respondi: Veritas domine. Et ait ad eos beatus Petrus: Et si aliquid contrarium erat elemosina redemit, quia elemosina liberat a morte, et peccata sua sacerdotibus est confessus et penitentiam egit, et insuper comam suam in meo monasterio deposuit, et omnia propter deum dereliquit, et semetipsum tradidit in servicium Christi. Omnia ista mala que infertis bona ista calcaverunt, ideo vos illum a me non potestis auferre. Aperte cognoscite quia non est socius vester sed noster. At illi fortiter repugnantes contra eum dixerunt: Nisi claritas dei eum a nobis auferat, tu non poteris auferre. Tunc beatus Petrus commotus ira contra eos, bis terque cepit dicere: Recedite spiritus nequissimi, recedite inimici dei, qui semper contrarii estis, et dimittite illum. Et illi non acquieverunt, numquam volentes me relaxare. Statimque beatissimus Petrus tres claves habens in manu voluit eos percutere, sed concito reditu alis expansis volatu veloci fugere ceperunt, et iterum volantes unde prius redierant accesserunt. Sed forti eos voce beatus Petrus prohibuit dicens: Non habeatis commeatum tetri spiritus ulterius huc advenire. Hoc iussu illi constricti super ipsam portam volaverunt, et ita per aerem fugientes evanuerunt.

IIII.

Post effugationem vero demonum conversus ad me beatus Petrus dixit: Redime te frater. Et ego cum magno tremore aio ad eum: Quid possum bone pastor donare, qui hic pre manibus nil habeo? Ait: Cum ad peregrinationem propriam redieris, illud quod ad conversionem veniens sine commeatu retinebas absconsum omnibus patefac, et solidos duodecim cum festinatione donare non tardes. Ad kalendas aprilis incipe, et in uno quoque mense unum solidum in manu pauperis mitte bene pensatum et manu sacerdotis signatum, ut habeas testes legitimos, et post te nichil remaneat de precio ipso. Et ut iam dixi in manus pauperum mitte, et cave ne in ipsas culpas quas per fragilitatem perpetrasti iterum quam cadas, et sollicito studio evigila, ut anno finito post te denarius nequaquam remaneat. Quia si exinde negligens fueris, multum in egressione anime tue te penitebit, et erit tibi ruina peior priori. Et erat quidam senex ibi optima forma venerabili aspectu, qui propinquius beato Petro apostolo astans interrogavit eum dicens: Domine, si ista omnia dederit, dimittitur ei peccatum? Et ait ad illum beatus apostolus: Si hoc quod dixi donaverit, statim dimittuntur ei facinora sua. Ait beatus Petrus ad illum senem: Hoc est precium divitis et pauperis, duodecim solidi. Post ammonitionem factam iussit beatus Petrus duobus puerulis qui erant stolis albis induti, claritati fulgenti, forma decori, ut me usque ad primam portam deducerent paradysi, ubi fratres monasterii nostri quieti residebant, et inde ipsi me per inferna deducerent, ut omnia tormenta inspicerem peccatorum, que aliis fratribus nostris dicere deberem, et sic inde usque ad monasterium nostrum illesum perducerent. Tunc ipsi pueri mandato accepto et prompti ad obediendum mirifice usque ad prefatum locum duxerunt. Sed et fratres ut me viderunt, immensas laudes et gracias deo celesti egerunt medico, qui me de fauce diaboli liberavit.

V.

Oratione quoque expleta acceperunt preceptum a viris beatissimis, ut me ad patriam transitoriam perducerent. Tunc ceperunt inter se tractare qui me ad propriam revocaret peregrinationem. Consilio vero inito rogaverunt unum ex fratribus Frammoaldum nomine qui in isto nostro monasterio quod illi pietas divina concessit, in puerili etate a corpore migravit, cuius corpusculum ad limen ecclesie sancti Petri iacet, ut ipse ad monasterium reduceret, et insuper adhuc polliciti sunt ei dicentes: Si hunc fratrem ad monasterium reduxeris, singulis dominicis diebus sepulchrum tuum scopis mundabit, et super ipsum miserere mei deus per ordinem usque in finem iste frater decantat. At illi ad me conversi dixerunt